

9

PASSIONALE TROPÆUM  
DE  
SERPENTE CONTRITO  
IN  
Campo Oratorio Consueto

IV. Non. Aprilis.

SACRO STYLO ERIGENDUM  
· CUIUS PERLUSTRANDI  
GRATIA

EXCELLENTISSIMOS JUXTA AC DOCTISSIMOS  
V I R O S  
SUMMA HUMANITATE  
INVITAT

M. JACOBUS REICHMANNUS  
RECTOR.

~~.....~~  
TORGÆ

*Literis Johannis Reinhardi,*  
SERENISS. ELECT. SAXON. Typographis.

*H. J. J.*

*H. J. J.*

LIBRARIUM  
SECRETUM  
C. 10  
EXCERPTUM  
V. 1. 2. 3.  
SUMMA  
ACADEMIAE  
TORONTO  
1850



**B**estiola horrenda serpens est, ac nescio, an ulla alia  
 pejus affligerit genus humanum, quam hæc cre-  
 aturarum omnium abjectissima, non hominibꝯ  
 tantum inimicum animal, sed cunctis pariter in univer-  
 sa naturâ viventibus exosum & detestabile. Hæc enim  
 illa est origo, & fons ille, unde in nos jam mortales de-  
 rivata primum noxa est, cujus pestilentissimis blanditi-  
 is malæ cupiditatis atq; libidinis fomes in exitium per-  
 niciemq; communem incensa, neqvissimi insectoris ope,  
 magnâ vi, & tanquam per flammeos cuneos erupit. Hæc  
 est illa bestia, quæ tristissimæ perduellionis crimine u-  
 niversum orbem Deo reum fecit: Hæc augustum gra-  
 tiæ & favoris splendorem demere: Hæc imaginis divinæ  
 radios fulgentissimos ex verissimo majestatis supremæ  
 ore ac gloriæ plenitudine in nos reflexos intercipere qua-  
 si ac intercludere, si non penitus abolere, conata est:  
 Hæc animos nostros veneno suo infectos carnificinæ da-  
 mnatorum subjiciendos, conficiendosq; exquisitissimis  
 cruciatibus immergere, nihil non tentatum reliquit.  
 Generis enim nostri Auctor, Creator gloriosissimus, non  
 poterat non opificium suum, novissimè à se productam  
 sobolem, ad ipsas delicias usq; complecti, summum il-  
 lum ac incredibilem amorem nec aliare testari magis,  
 quam si in illo beatissimo nemore auream verè degere  
 atatem juberet eos, suæq; felicitati securè ibi indulge-  
 re, ubi Creatoris Optimi Maximi nomen colere religi-  
 osè, ac laudes ejus sine intermissione decantare nihil im-  
 pediret. O verè beatos! O ter & quater felices No-  
 stros, bona tua si novissent! Longè tamen feliciores, si

)(

tanti

tanti muneris satis memores, nunquam flagitioso ludicro admisissent occasionem, si in conspectum tam fraudulentum animatuli, se dedissent neququam, si divinorum edictorum ac præcepti salubritate munivissent pectus, inq; id obfirmassent animum cordatius. Nunquam profecto tam nefarii sceleris tenuissent gradum, ut omni pietatis, rationis & honestatis vi excussa, cæci & furentes suam & posteritatis identidem subsequaturam salutem juxta assererent. Certè multò minus blanditiarum, insidiarumq; obtinisset inter eos, si primo intuitu tantò plus occupasset horroris corpus, quantò plus noxæ & mali per impetuosam libidinem svadere dicendo audax, & quantum in se fuit, protervè designare haud dubitavit non seductor modò, sed adjutor etiam primarius. Eheu! frustra ingeminamus lugubre carmen, adversam Iudi fortunam nunc experti. Eheu! quales eramus olim? quantum verò nunc mutati ab illis? Antea sanctitate vitæ & admirandis virtutibus in priori statu præstabamus cunctis nos circum sistentibus creaturis, nunc destituti & orbati honore omni, virtutum coronâ ac luce privati, splendorem amissimus concreatum: Filii eramus ante & Deo charissimi, quos ad ipsas delicias usq; complectebatur æternus Pater; Nunc autem qui simus, quotus quisq; est; quem non confestim pudeat mutati

tati nominis, quod à priori illa dignitate abesse videtur longè? Qui faciles nimium in admittendis credendisqve fuimus, dicto minus audientes Dei verbis, brevi scilicet fore rati, ut humanæ conditionis fastigium supergressi, pares ipsi per omnia Creatori Maximo essemus, præpostera arrogantia & fastuoso supercilio rebelles & contumaces facti tristissimæ perduellionis crimen sensimus, quidqve concinnaverit deindè, ac præstiterit, quam labem, quamqve maculam nullis vel maximè Oceani undis abluendam ceperimus, si non horremus, miserriam certè dolebimus vicem. Ecquis ergo integros vitæ ab honesto & recto deflexit? Quis nobilissimo generi decus hoc abstulit, & tantà fœditate flagitii nostram dignitatem commaculavit? Proh dolor! serpens ille est, serpens terreni generis statum fortunæ huic obnoxium reddidit. Is flexuoso suo anfractu obrepit: Is svasu fraudulento imposuit illisqve Protoplastis, suisqve simplices circumscripsit dolis, ut plura majoraq; persuasi etiam atqve etiam sibi arrogare ausu temerario non erubuerint, quam benignissimus illis impertierat hætenus, atqve tribuerat Deus tam nobilis naturæ ac universi Conditor. Hoc per deforme obsequiū, tantis adulationib; Viræqve ac mulier, in deterio deflecentes, à vero bono aversi, ultro in pessima pessimis consiliis impulsimãgis atq; in præceps cum plurimū cladis ac noxæ in omne inyexerunt gen9. Neq; enim caret

) 2

teme-

temeritas pœna: nec ullis gravius perversa pravaq; libi-  
do, quam iussis divinis dicto minus audientibus nocet.  
Ut verè Gregorius moralium ille Doctor scripserit: Nū-  
quam per obedientiam malum fit: aliquando autem per  
obedientiam debet bonum, quod agitur, intermitteri.  
Neq; enim in Paradiso arbor mala exitit, quam Deus  
homini, ne contingeret, interdixit: sed ut melius per o-  
bedientiæ meritum, homo bene conditus cresceret, di-  
gnum fuerat, ut tunc etiam à bono prohiberetur: qua-  
tenus tanto verius hoc, quod ageret, virtus esset, quan-  
tò & à bono cessans auctori suo se humilem & subditū  
exhiberet. Illecebrosius hoc animal ne sic omnem  
perderet operam, tantò magis periculosa plenum opo-  
sita tractare, se, remq; cineri doloso suppositam ornare,  
ordinatas fraudes jucundissima specie potuisse obte-  
gere necesse fuit, cum subinde homines, & inexperti  
præcipue, sequi jucunda imprimis soleant, quam fœda ac  
distorta, quæq; prima fronte turpitudines promittunt.  
Unde non immeritò in eam deduci quis posset senten-  
tiam, ante infelicissimum Parentum lapsum, huic ani-  
malculo præter summam astutiam, calliditatem & va-  
fritiem, formam quoq; egregiam ac venustatem cor-  
poris fuisse tributam, ut admodum erecto capite & cor-  
pusculo succi pleno incesserit, in sinu oculisq; latum ma-  
tri primæ, sermones ceciderit cum Eadem ipsa tam di-  
sertè, ut verba & voces sibi non deesse ostenderet, nec  
rationis aut intellectus dotes, quibus præditum & cæte-  
ras animantes excelleret, mentesq; humanas se paulò  
superiores fascinaret moveretq; pro lubitu, de quo ta-  
men quid statuendum sit, jam non disputo. Et  
nobis dementiæ nostræ satis poenarum, earumq; gravis-  
sima-



simarum luendum est, & serpenti pestiferæ ejusmodi illusiones longè majori dedecori atq; detrimento cesserunt, ut ei averrendo nihil relictum, nec clementiæ locus sit, sed horrenda tubinde supplicia seductores manere malo suo doceantur, doceantq; alios horribili aspectu. Perdidit enim ab eo serpens ora sua venusta, perdidit formam decoram, expers jam liberalioris indolis omni (vavitate caret, & parùm abest, quin omnis generis foeditates quasvis sibi quis objici maluerit, quàm serpentem detestabilem, qui antea tamen omnes delectationis numeros unus impleverat inter animantes. Quà causâ etiam nemo natus est, cum sentiat delapsus in improvisum anguem ex lentibus humi prorepentem, quamvis non adeo magnum, quin obstupescat, retroq; pedem cum voce reprimat: nedum si immensæ magnitudinis appareat unus itemq; alter colla tumentes & iras attollentes; si incumbant gramini, oculos suffecti sanguine & igni ardentibus; si lingvis vibrantibus ora sibila lambentes, sinuent immensa volumine terga, & petât orbibus immensis corpus hominis medium amplexuri, artusq; spiris implicitos atrôq; veneno perfusos jam jam depasturi: quis non fugiat horribilem adspectum? cujus pectora non turbentur? cui non subito horrore membra rigere incipiant? cui non pallor suffundatur? & cujus totum propemodum corpus vitalis calor non relinquat? quis non horrendum clamorem ad sidera tollat? Id certe a prima illa ipsa potissimum lapsus origine videtur pendere. Huic enim alex; sese immiscuerat malus ille ac inimicus generi nostro Genius, cujus auctore ac principe ludus hic perditionis nequissimus ludebatur. Nudus quippe serpens tantus non erat, ut ab illo  
tam

gam profunda pernicies, & pestis ulli unquam mortali-  
um metuenda fuisset, nisi ab ipsis Inferis major exsu-  
scitata Inferni vis maligno affectu & habitu in scenam  
prodiisset, tristissimam fabulam, easdem tamen par-  
tes lepida ac festiva magis, quàm importuna atque  
pertinax actura. Sed non diutius indulgere nequi-  
tiae Deus poterat, è vestigio in lucem protrahendam  
statuit, quamcunq; sibi finxerat speciem, quamcunqve  
personam mentitus Satanas: detractâ larvâ ei persol-  
vit mercedem, quam pro merito debebat auferre. Ne-  
que enim cuiquam præsentissimi Numinis lenitati in-  
sultare impunè, nec suis culpis insuper applaudere,  
concessum est. Quemadmodum verò populus Dei de-  
serta loca, incolens, nescio cū cuius culpa in ignitos ser-  
pentes incidisset, minime consultum ratus, diu cum  
bestiis noxiis colluctari, ac porro suæ petulantiae meri-  
tas persolvere poenas, sed ne plus periculi atq; discrimi-  
nis valetudini, imò vitæ immineret, ilicò oculos ver-  
tere cœpit ad salutare lignum, cui Deus serpentem  
æneum affigi præceperat, eòq; aspirandum identidem,  
non male existimavit: ita colluctandum diu nobis non  
est cum utroq; serpente seductore nostro, sed quicquid  
va cattemporis, cæteris omnibus posthabitis, Alexiphar-  
maco præsentissimo imputandum. Hoc si ad tuendum  
communem salutem usurpare non detrectaverimus, salva  
nobis incolumisq; erit vita, neq; se commovebit infer-  
nalis hydra per ejusmodi vim, & plusquam divinum deje-  
cta ac prostrata robur. Quamvis nonnunquam emicare,  
denuo præter spem conetur, atq; in ulteriorem pestem  
se incitare, contusa tamen fortissime minari quidem per-  
niciem potest, nunquam, autem ejus importunitas  
noci-

nocitura ulli est, quin potius omnis ira in sui perniciē ver-  
tat. Quare, cur insolens esse Satan, & seductis rebus glori-  
ari velit, magnoperē causa non est. Nisi ad laudem suā in-  
terpretari voluerit quod Salvatori æterno calamitatib; tā-  
tis ac cladibus, quantum expertus erat orbis, ad opponen-  
dum aliud, & omnem rationis captū superans remedium,  
dederit causam. Nos ergo qui in annalib; sacris fatū illud,  
quod Protoplasti illi subierunt, oculis collacrumantibus  
perlegim; , miseramur quidē ut Posterī parentū nostrorū  
atrox peccatū , sed magis admiramur clementiā Dei, me-  
reri confessi æternas laudes ac gratias quotidie reddendas  
ineffabilē illā Dei immortalis bonitatem, ut in univarsas  
creaturas, vel maxime tamē in humanū gen; , qui cum se-  
veriori iudicio atq; sententiā agendū sibi statuerat cū ho-  
ste infensissimo ad æterna supplicia & cruciat; nunquā de-  
situros detrudendo; per illū lapsos vindicare sibi denuo  
clementi; , & in semetipso velut asserere nullus dubita-  
vit. Quæ omnia cum ex voto nostro successerint optimē ,  
mutata in meli; longē cernimus nō sine ingenti nostro in-  
commodo pri; ab hostib; excogitata atq; cōstructa. Quā-  
to autē majora & excellentiora, magisq; perpetua & soli-  
da licebit sperare, cū plena olim & nō interrumpenda, no-  
bis tribuetur securitas quæ nullas fert simultates, nullas mi-  
nas admittit, sed tollit insidias penit; , & metu omni ac so-  
licitudine vacuā nobis indulgebit felicitatē. In hac solā  
divinā ope spem omnē ponim; , certissimi, nihil nō iri po-  
sitū sub pedib; nostris, quod Deo Auctore prestratū, eoq;  
primario duce cōfractū conculcatūq; jacet. Sæviat furor  
serpentis inferni in nostros calcaneos, quantum volet, capite  
salvū est & incolume manet; Totis incumbat virib; , mem-  
bra tuta sunt, & pectus securū nec non imperterritū stabit,  
quod Deum suæ salutis vindicem & assertorem respicit.

Huius

Hujus gratiã & favore quamdiu non excidit, nullæ ipsi  
insidiæ nocebunt, nulla mina opprimet. Non si vel in-  
fernus universus cohortes suas ordinet & producat; vel  
orbis desuper illapsurus confundere cuncta & perturba-  
re nitatur. Tantum abest, ut rot tantisq; minis succum-  
bat, ut ultrò cervicem cadendam offerat, alacriorem  
animum sumens, eoque securum magis, quo magis nunc  
imprimis omne sævitæ venenum meditetur evomere, o-  
mnemq; impotentissimæ iræ vim ejaculari. Feriat li-  
cet calcaneum, variis artibus conetur avertere vel cor-  
rumpere pharmacum, nunc fraude ac tectis dolis no-  
biscum agens, nunc aperto grassatus Marte, capite læ-  
so omne venenum perdidit, acie quasi prælioq; depulso  
ac profligatus manus victas dare cogitur illi, qui solus  
aggredi dignus erat salutis rem, & cui conficere etiam  
patrareq; divino suo robore feliciter copia erat & facul-  
tas. Gloriæ suæ decorisq; posthabens fastigium, ac  
ultima servitutis sustinens ex metu atq; formidine ulti-  
mâ, ex ærumnoso labore, & ex acerbissimis cruciatibus  
in vigorem & requiem, in tranquillitatem, in plausus &  
gaudiorum amœnitates reposuit, quicquid ante enecatū  
torpere jam ac tantum non pessum ire cernebat fortis-  
simus vindex & generis humani Assertor. In quarum  
rerum fructu eum summum gradum beatitudinis repa-  
rata teneamus, meritò Dei immortalis bonitati immen-  
sæ imputamus atq; ascribimus totum hoc remedii ge-  
nus: meritò quoq; pro hoc tanto & ineffabili beneficio  
publicè laudes gratesq; persolvimus; Quod tanto majore  
curâ ac pietate nos in Scholâ versantes facere par est,  
quænto ad ejusmodi meditationes magis commoda ab  
universa Ecclesia hoc ipso tempore quadragesimali sub-  
mini-

ministratur occasio. Deditus ergo has partes tribus hujus  
nostra Torgæ civibus, hæcenus Scholæ patriæ per aliquos  
annos alumnis obsequii & industriæ laude meritò ornan-  
dis, qui ad Academiam non sine laude & auspicio lato aspi-  
rantes jam jam Valedicturi corâ freqvêti auditorio suæ hæ-  
cenus navatæ diligentia specimen antea edere gaudent, &  
per Dominos Inspectores, Patronos juxta ac Præceptores  
attentionem optatam impetrare contingat. Quam ut ma-  
jorem ipsis conciliemus hæc scripturâ, honoratissimos  
quosq; humanissime, & eâ quâ par est, pietate volumus  
oratum. P. P. Torgæ. Prid: Cal. Apr. A. C. M. DC.  
LXXII.

*Nominis Valedictionis loco Declamatorum  
Trium Civium Torgensium hæc tabella exhibet.*

- ✦ CASPARUS SÄTLER, Comparisonem; Satane cum Ser-  
pente Idiomatico Ebræo instituturus est.
- ✦ MICHAEL HENRICUS CRUSIUS, de Alexipharmaco à sum-  
mo Medico contra Serpentis Tartarei morsum com-  
parato, Latio sermone dicturus est.
- ✦ JOHANNES CHRISTIANUS PAULI, Calcaneum esse saluum  
atque integrum Romano ore persequetur.



Faint, illegible text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule, covering the upper half of the page. The text is heavily faded and difficult to decipher.

Two lines of faint text, likely a section header or a specific entry, located in the middle of the page.

- 1. ...
- 2. ...
- 3. ...



99 A 6971

ULB Halle 3  
002 912 201



Sb.


VJ 12

Reise









PASSIONALE TROPÆUM  
DE  
SERPENTE CONTRITO

IN  
Campo Oratorio Consueto

IV. Non. Aprilis.

SACRO STYLO ERIGENDUM

· CUIUS PERLUSTRANDI

GRATIA

EXCELLENTISSIMOS JUXTA Ac. DOCTISSIMOS

V I R O S

SUMMA HUMANITATE

INVITAT

M. JACOBUS REICHMANNUS

RECTOR.

TORGÆ

Literis Johannis Reinhardi,  
SERENISS. ELECT. SAXON. Typographis.